



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

LXXVI. Periculos è ægrotum sanatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

sanctus in vilitate Societati veste, palliatus; ætatis specie virili, vultu quem nullum ubi hoc miraculum contigit satis assimilaret apographum, infans alacer, & festiuus gerulæ corridens, pannus quo fuerat inuolutus in imò fenestræ iacebat.

Mutinæ anno 1605. Alberti Fontanæ filiolo ardens febris, capitisque ac-
 faucium tumor, sic animæ viam obstruxerat, vt nisi agerrimè spiritum du-
 cere non posset, nedum nutricis lac sugere. Lugebat mater iam iam præfo-
 candum; matris cognata Linia Fontana, eius æquè vt infantis miserta, in
 genua procidens valetudinem puero ab S. Ignatio petiit cuius mirificè pa-
 trocinio confidebat, tum eius reliquiis quas gestabat in cruce argentea,
 guttur eius signauit, inflatione mox & febris, hora non integræ spatio dif-
 flatis, puer, vt vnquam egregiè valuic.

LXXV.

*Infans mori è
 proximo, mi-
 nore quam
 hora spatio
 sanatur.*

Coloniæ Gerardus Otmarlesius Sacerdos è Societate cum anno sæculi
 duodecimo ex morbo periclitaretur, votum S. Ignatio nuncupauit, & sacris
 ipsius lipsanis pectus, & caput consignauit, vitæ de cetero vsque adeo
 securus, vt cum validissimis febribus per decem dies æstualet, nunquam
 illi de morte dubitatio succurreret: nocte porro hos dies consecuta, ex
 inopinato deliquio resectus, eos crurum dolores expertus est, quibus in vi-
 ta nihil passus esset crudelius, ratúsque id præter naturam esse, proximam
 ex eo sanationem expectauit, inde abalienatus ab sensibus, paulo post
 sensit inhalari sibi in os exilem flatum, sed vna immensis animum inun-
 dare deliciis, argumento receptæ sanitatis: vnde in cantum eucharisticum.
 Te Deum erupit, festis lachrimis & pio singultu verba pene singula inter-
 pungens.

LXXVI.

*Periculose
 ægrotum sa-
 natum.*

Maceratæ Anno proximi sæculi nono supra nonagesimum, expetita
 sunt preces Lucretiæ Aurispæ ad S. Catharinam Antistitæ, pro Isabella
 Moronia, illic educata, tunc grauius admodum ægrotante. Illa multam
 in noctem precata cum ad quietem se composuisset, videre visa est Mar-
 tyres Virgines, Catharinam, & Vrsulam eius cœnobij patronas quæ di-
 cerent saluam fore Isabellam beneficio S. Ignatij Societatis Iesu Fundato-
 ris; mandarent præterea id illi nunciari: monerique illam, esset in poste-
 rum in hospitatorem tam beneficum grata. Sub hæc videbat Isabellam è
 lecto assurgere in genua, & S. Ignatio gratias agere. Experrecta miratur
 id somnium, quod S. Ignatium nec de illa valetudine rogasset, nec cum
 vnquam peculiariter conuisset; quærit ex Valterio medico, quo statu Isa-
 bellæ res essent, & audiens, pessimo, iubet ab se illorum fieri certiore
 quæcumque audisset, & vidisset. Sed quo tempore Virgines, Lucretiæ ob-
 iectæ fuerant, Isabellæ eodem Ignatius, præstanti ac splendida specie ad-
 stiterat, & manu præhensam certa sanitatis expectatione confirmarat, mo-
 nueratque de genibus Deo gratias agere, à quo id illi donum impetrasset,
 & visa sibi erat iubenti paruisset. Huius autem visi, ac promissi gaudio ex-
 citata, longè se à periculo cui indormierat deprehendit; matri, & socru
 sibi adstantibus, somnium exponit; & valetudinem promissam, quod vtrum-
 que

LXXVII.

*Similis præ-
 cedenti sana-
 tio.*